











No 1220.
M. Fischer fecit


BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

DE NATALI DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

carmen elegiacum
ſcriptum
ad
D. IOHANNEM FRIIS, Regiæ Ma:
ſupremum Cancellarium,
autore
Petro Iohanne Hegelio.

HAFNIÆ,
Apud Ioh: Zimmerman.
1563.

MAGNIFICO AC GENEROSO
DOMINO D. IOHANNI FRIIS
R. M. Cancellario: Domino
ac Mecœnati suo
S. D.

Ne mirum tibi sit, sit oro gratum,
MECOENAS reuerende, lux, decusq;
Nostrûm: quòd puerile carmen, ipsi
Cantatum puero Deo Deorum
CHRISTO, tam tibi profero legendum
Audacter, q̃d & haud scio an deceret.
Sed CHRISTO puero pias decebat
Laudes dicere, quas (puto) licebit
Dum tu des veniam, tibi dicare.
Hanc, vir maxime, comproba minutam
Æquo pectore strenulam: tametsi
Longè & longè aliud tuæ, fatemur,
Virtuti, meritisq; debeatur.
Vitam viue diu precor beatam,
Vitam viue Deo, tibi, tuisq;,
Hoc est, omnib⁹, vt potes, piumq; est:
Tum viues, velut & facis, beatus,
Pòst victure dies beatiores.

T. Magnifi:
deditiss:

Petrus Hegelius,
Ripensis.



DE NATALI DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI CARMEN.

CHriste Dei soboles, cœlestis imago parētis,
O prognate Deo de genitore Deus:
O venerande Puer generi iunctissime nostro,
Cui placuit fragili viuere carne, caro.
Fas mihi sit tecum placidis exquirere dictis,
Et tibi, sed de te, teq; fauente loqui.
Quid te sydereo descendere fecit olympo?
Anne hominum causa patris ab arce venis?
Certè hominum causa: quid nostri corporis artus
Induis? anne tuus fecit & illud amor?
Certè amor id fecit, quo nos mitissimus omnes
Æternum saluos tuq; paterq; cupis.
Non quia nos meriti (quid enim nisi tartara lapsis
Reddere debebas) sed quia mitis eras.
Hæc, nobis, arcana tui decreta parentis,
E patrio veniens detegis ipse sinu.
Nanq; vbi primus homo scelerato crimine læsit
Hunc, qui se in vitam condidit ante, Deum,
Iam pater in tantas merito se verterat iras,
Vt sine mors homini fine luenda foret.
Quippe immota Deo stat mens & firma voluntas,
Qua nec ferre malum, nec mala velle potest,
Iustior est, lapsis quàm sic vt parcere posset.
Nulla erat in tanto crimine pœna satis.
Sed (mirum) quæ immensa Dei est sapientia, mixtus
Iustitiæ summæ summus abundat amor.
Parcere non potuit, qui te mediante pepercit,
Ni fieres hominum nomine CHRISTE reus.
Solus vt ingrederis summi penetrale parentis,
Et patet æterni mens tibi nota Dei.

Offensiq; vides horrendam numinis iram,
Quæq; sit infando debita pœna malo:
Sic inimicitias solus componere tantas
Tu potes, hinc homini iunctus & inde Deo.
Nanq; salus nullâ fuerat reparabilis arte,
Ni Deus atq; idem sit mediator homo.
Ergó in re nostræ iacuit spes tota salutis,
Tanta erat offensum res habuisse Deum.
Scilicet vt summi soboles se chara parentis
Iratum supplex sisteret ante patrem.
In se transfundens immensæ debita culpæ,
Se reputans tanti criminis esse reum.
Imò graues etiam moriendo vt soluere pœnas,
Vtq; sua mortem vincere morte queat.
Et satis vt toto fieret pro crimine mundi,
Iungitur æterno carnea massa λόγῳ.
Massa quidem teneræ concepta in virginis aluo,
Sed tamen arcanis massa sacrata modis.
Nam sacer irradians casti penetralia ventris
Perfecit sanctum Spiritus intus opus.
Non nostri similis fœtus: sed purus ab illis
Queîs nos infecti labe malisq; sumus.
Cætera sed nobis similis, formamq;, animumq;,
Et carnem, & pleni munia cuncta viri.
Quando igitur, sic nanq; Patris decreta ferebant,
Post longa exactum secula tempus erat:
Vt noua progenies cœlo descenderet alto,
Quæ foret offenso victima grata Deo.
Non tunc, CHRISTE patris natũ de lumine lumen,
Non homo tunc nasci virgine matre fugis.
Ergó nec exhorres paruæ magalia Bethles,
Hic placuit toto vilis in orbe locus.
Ergó tibi præbent rigidas præsepia cunas,
Perstringuntq; tuum stramina multa latus.

Ergo

Ergô iaces tenui velatus pectora amictu,
Vix prohibet durum fascia parua gelu.
Non circum famuli, non circum mille ministræ,
Hac bos, hac recubans vector asellus erat.
Iamq; tenella puer vagitibus ora fatigas,
Iamq; sinu genitrix paruula membra fouet.
Admirans nitido venerandum lumine vultum,
Augustumq; tuo quod videt ore decus.
Intereà angelici magnum glomerantur in orbem
Nunc prope cõspecti, nunc procul esse, chori.
Carmine gratantes dulci, pueroq; Deoq;,
Nam puer ille Deus, nam Deus ille puer.
Et vestras etiam talis vox perculit aures,
Custodes vigilis, nocte silente, gregis.
Ite, ô pastores, stabula ad confinia Bethles,
Ite, dabit paruus gaudia magna puer.
Quærite, nam toti datus ille salutifer orbi
Paruulus, in cunis, ite, videte, iacet.
Vnus ait: mox cœlo omnes se credere aperto
Visi, ac æthereas ire redire domos.
Et longo superante casam discurrere tractu,
Atq; melos summo fundere dulce Deo.
Tum IOSEPHE tibi noua res oblata timorem
Incutit, & tardus lumine somnus abit.
Ipsa domus claros visa est considere in ignes,
Hinc atq; hinc rima splendor hiante subit.
Vix ibi suspensos lentè ad præsepia gressus
Vrges, vix tecum murmura pauca refers.
Cernis vt illustri præ maiestate verendus
Stramineo iacuit paruulus ille toro.
Quem circum rutilant ceu mille coloribus ignes,
Vna sed in vario flamma colore fuit.
Cernis vt attonitæ similis, virguncula mater
Pulcra, sed hic sese pulcrior illa sedet.

Forte boue͂,quicꝫ hunc rudens prope ſtabat,aſellu͂,
Iam genubus terra procubuiſſe vides.
Luminis vtcꝫ noui,ſic numinis omnia plena
Conſpicis: illa tui cauſa ſtuporis erat.
Tum IOSEPHE pater,veneranda cubilia propter,
Flectis adorantem tercꝫ quatercꝫ pedem.
Cuncꝫ ſatis nequeas oculos ſatiare videndo,
Simplice tu pueri numina mente colis.
Ecce ſed in ſtabuli tectum bipatentis, agreſtes
Paſtorumcꝫ Deo turba monente,venit.
Qui mox ſe aſternunt latè cunabula circum,
Plangentes manibus pectus & ora ſuis,
Perculſicꝫ vnis omnes obtutibus hærent,
Non cunas digitis fas tetigiſſe putant.
Sed proni ſpectant puerum , ſpectantcꝫ parentem,
Hîc Deus,& verè eſt hîc Deus,vnus ait.
Tum ſenior quidam breuiter ſic voce ferebat,
Et nos quàm,ſocij, turba beata ſumus,
Et felix nimium Bethlem,tua ſi bona nôris,
His felix tota eſt terra futura bonis.
Hoc duce ſoluentur ſceleris veſtigia noſtri,
Reddet & hic terris aurea ſecla puer.
Quis tibi tu͂c animus,Genitrix,quę ſancta voluptas?
Quàm tacito carpis gaudia magna ſinu?
Quæ populo reddis venienti verba viciſsim?
Quos loqueris tenui murmure Virgo ſonos?
Aut quibus attentas puerum placare ſuſurris,
Pectora dum refoues pectore parua tuo.
Partem aliquam noſtras Muſæ referatis ad aures,
Prodere ſi fas eſt,ſi mihi iuſta peto.
Illa quidem placidè vultus demiſſa pudicos,
Talibus,aut iſtis vocibus vſa fuit:
Salue ſancte puer,quem ſemina ducere cœlo
Conſcia ſum,ſalue tu mihi ſancte puer.

Magna

Magna loquor, ſed multa meam miracula mentem
Excedunt: Deus eſt virgine natus homo.
Cernite, diuinis quam blandum ſpirat ocellis,
Quantaq; ſydereo gratia fronte nitet.
Tu maris & cœli qui immenſa volumina torques?
Paruule ſic tenero lac bibis ore puer?
O tibi quam placidi vultus, quam mitia præfers
In noſtra tectus, numina, carne Deus.
Tu rex, ſed proprio leuiter vix cognitus orbi,
Pauper & hæc infans in tua regna venis.
Sed minus admiror, diuina oracula vatum
Talia de puero præcinuere Deo.
Hic ille eſt SILOH, hic eſt de virgine SEMEN,
Quod tua comminuet perfide colla Draco.
Et memini, meus Iſaias, quàm multa ſub auras
De nato in terris EMANVELE, canit.
Iamq; videre mihi videor, quæ fata ſubibis,
Et quas (ſed refugit mens meminiſſe) cruces.
Ah quantum innocui ſudabis ſanguinis olim,
Vulnera dum ſanes vulnere noſtra tuo.
Intereà quô ſancta trahunt, retrahuntq; parentis
Iuſſa, libens ſolita ſimplicitate ſequar.
Nam tua ſum, mihi quæ fieri vis, omnia fiant,
De me quodq; voles, ecce parata volo.
Creſce puer, cœlumq; homines ſperare iubeto,
Mi puer, ô vitæ vita ſaluſq; meæ.
Hæc ait, ac imo ducens ſuſpiria corde,
In gremio puerum, blanda, tepente locat.
Aſſenſere omnes: Ioſephq;, ouiumq; magiſtri,
Et, qua plena fuit, ruſtica turba caſa.
In faciem proniq; cadunt, puerumq; ſalutant,
Laus tibi ſit puero, vox erat vna, Deo.
Nec minus angelici ceſſabant æthere cantus,
Alta ſed hic dulcis ſurgit in aſtra ſonus:

Quas

Quas tibi, quas tandē Deus optime maxime grates,
Aut nostra, aut hominū reddere turba potest?
Huius in æternum stabit tibi gloria facti,
O Deus, ô sancto plenus amore pater.
Nunc quia perpetuę coalescunt fœdera pacis,
Et bene vult terris mitis amansq; Deus.
Sic hi carminibus tenues mulcentibus auras,
Læti commemorant iubila læta Deo.
Gaudia testantes cursu, varioq; recursu,
Librabant sese culmina celsa super.
Scilicet humanæ quod sit patefacta salutis
Vera, Dei gnato propitiante, via.

At tu sancte puer, generis spes vnica nostri,
Qui fatus, & nobis vis datus esse puer.
Nate Deo, Deus ipse, Deo qui lumine lumen
CHRISTE Deus, radians patris imago, fluis,
Sis bonus & felix animis illabere nostris,
Et facias humiles pondus habere preces.
Per te iusta tui placata sit ira parentis,
Quamlibet, ah nimium, nos rea turba sumus.
Vna salus miseris per te sperare salutem,
Siue ea res vitæ, siue ea mortis erit.
Dira procul nostris absit discordia terris,
Pace nouus placida molliter annus eat.

σὺν θεῷ.